

www.e-rara.ch

**Gisberti Voeti theologiae in acad. Ultraiectina professoris selectarum
disputationum theologicarum, pars prima [-quarta]**

Voet, Gijsbert

Ultrajecti, 1648-1667

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rm 303 & Rm 303: a-ac

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-22314>

De foro poli et soli.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

nibus & consiliis parentum, tutorum, præceptorum, concionatorum, dormiens aut repressa & coercita concupiscentia hujus aut illius peccati sæpe excitata reviviscet, & acrior erumpit: haut aliter ac ignis coercitus; & ut

Strangulat inclusus dolor, ac magis aestuat intus.

Homines nonnunquam impudenter profitentur, se jam hoc vel illud dilectum peccatum facturos; quia monitores, præsertim concionatores illud perstringunt, & quo magis ac vehementius prohibent, eo magis elatâ manu, se illud perpetraturos. Nec desunt qui odio & amolitione servitutis & jugi ecclesiastici (uti prætexunt,) & ad ostendendam ac defendendam libertatem suam Christianam, aliqua apertè nunc faciunt, quæ antea vix aut saltem apertè facere non solent. *Dirumpamus vincula eorum, &c. Psal. 2. v. 3. In verbo quod locutus es ad nos in voce domini, non paremus tibi. Sed faciendo faciemus omne verbum, quod egressum est de ore nostro, &c. Jerem. 44. v. 16. 17. Impio autem dixit Deus, quid tibi ut enarres instituta mea & assumas pactum meum in ore tuo. Tu vero odisti disciplinam, projecisti verba mea post te. Psalm. 50. v. 16. 17. Hæc mysteria perversi cordis, & propriæ deceptionis Jerem. 17. v.*

DE FORO POLI ET SOLI

Resp. JOHANNE CLAPMUTS Amstelod. 16. Septemb. 1665.

S. 1.



N responsis ad quæstiones ac casus, de licito & illicito, honesto & turpi, justo & injusto, legitimo & illegitimo accuratè semper distinguendum est inter *immutabilem legem divinam ac naturalem*, & inter *leges ac consuetudines humanas*; inter *ius divinum, & humanum*; inter *forum poli, & soli*. Hæc enim ubi confunduntur, pessimè conscientiis consulitur: dum peccatum ipsis fit non-peccatum; & vicissim pro vitio virtus crimina sæpe tulit. Quod experientia docuit in Casuistis Pontificiis, qui proposito aliquo casu conscientie quærunt an aliquid sit licitum, in foro scil. conscientie: & pro affirmante rationem mutant militantem pro licito in foro soli.

Illustre exemplum datur quando à theologis, Casuistis, Canonistis quæritur, *An meretricibus licitum sit pro turpi actu mercedem accipere, retinere, & in usus suos convertere, absque ullâ restitutione*. Ubi transeundo in aliud genus, hoc est, à foro conscientie & poli, ad forum soli, affirmantem statuunt, hæc ratione: Quod meretricium ipsis jure sit permissum: Jus autem intelligunt humanum; ex. gr. Romano-Papale, fundatum in permissione

sione & lege permittente Pontificis ; qui Romæ intra muros lupanarium apertionem, & meretricum pragmatiam concedit. Vide inter Caluistas Navarrum in Manuali cap. 17. §. 3. 34. & seqq. operosè de hoc disquirentem, & plurimos autores citantem. Ubi inter alia asserit : *Acceptum à meretrice non esse necessario restituendum, etiam in foro conscientie.* In quâ conclusione, ait ibid. omnes tam theologos, & Canonistas ac Legistas convenire. Inter Canonistas Zypæus Officialis Episcopi Antverpiani lib. 4. Juris Pontificii novi pag. 304. dicit, *doctrinam esse communioem ob operam meretriciam licere accipere, nec restituendam esse mercedem*; citatque ibidem Ulpianum in Lib. 4. D. de *condict. turp. causa*. Cajetanus in 22. qu. 32. art. 7. altius & subtilius distinguendo hanc rem accersit : *Quando, inquit, res data vel empta est materia non repugnans acceptioni vel venditioni, actus secundum se est licitus. Et hæc est differentia inter emere & vendere in simoniâ & meretricio.* Nam in meretricio res vendita est usus venereus, &c. qui etsi secundum se sit malus, non tamen constituit venditionem malam, & hoc quia est materia vendibilis. In Simoniâ autem res vendita est res sacra, quæ est invendibilis, & propterea constituit venditionem injustam. *Et paulò post*: signum autem hujus differentie est, quod dare mulieri pro usu, &c. antequam fiat malum, est pro quanto imperatum, sed actus à luxuria. Post factum autem non est malum, sed actus justitiæ nullo vitio imperatus. Quid si quæram, an liceat assassinis, proditoribus, incendiariis in foro conscientie, pro venditâ suâ operâ mercedem accipere, eamque justè retinere, absque ullâ restitutione: quod opera illa non sit res sacra, sed vendibilis. Itidem quæro, an marito liceat pro venditâ uxore suâ pretium accipere, illudque retinere: ex eo, quod uxor non sit res sacra (quæ invendibilis); sed res vendibilis. Quomodo lenonia & minime emenda hæc Cajetani Theologia de vendibili usu corporis ad abominandas turpitudines, conveniat cum Apostolo 1 Cor. 3. v. 16. 17. & 6. v. 18. 19. & 7. v. 4. 1 Thessal. 4. v. 3. 4. 5. piis omnibus considerandum relinquo.

Exemplum in opposito est, *matrimonium conscientie* (ita dictum) quod vulgari linguâ appellari solet *mariage de conscience*: in foro poli & coram Deo licitum, quippe conjugium: sed in foro soli illicitum, quippe jure illius nullum conjugium. Videntur fornicantes populari huic errori & excogitato commento implicati, talia occulta dedecoris didicisse à Didone Virgilianâ:

Conjugium vocat, hoc pratexit nomine culpam.

Sic omnis fornicatio extra matrimonium & extra sponsalia posset excusari quod scilicet fieret illa conjunctio quasi cum uxore, quamvis non sit. Quamplurima exempla suppeditabunt infiniti fere libri Caluistici, qui mixtione du-

duplicis fori & juris, aut substitutione unius pro alio, non raro ex peccatis faciunt non peccata. Quibus non dissimiles sunt novi quidam veritatis fidei, & genuinæ pietatis corruptores: qui Papæ-Cæsariatum Cæsareo-Papatu mutant (χαλκῆν χαλκῆοις, aut potius σιδηροῖς), confusione utriusque fori, aut fori poli sive ἀφανισμῷ sive ἐξυθτισμῷ, monstrosis quibusdam axiomatis conscientias instruunt.

En tibi unum atque alterum specimen. Thomas Hobbes Cæsareo-Papatus ædificator *ὑπεροχῇ* inter varia absurda & scandalosa in libro de cive, & in Anglico scripto (cui tit. *Leviathan*), libertinicum hoc eructat: *Nos non teneri Christi leges civilibus repugnantes recipere. Quod si iusti Christi negassent, non ipsi negassent, sed iubentes.* Hanc ipsius sententiam ex pag. 286. & 271. excerptam Henricus Wilkinsonus Theologus Oxoniensis in concione de scientiâ Christi ad *Philipp.* 3. v. 8. apud Academicos Oxonienses habita anno 1657. & cum aliis opusculis anno 1658. editâ pag. 188. hoc atro carbone notat, quod *integumento specie tenuis obsequii quinto præcepto exhibendi, unico ictu reliqua novem amputare satagat.* Ibid. *librum turgescere dicit erroribus numerum pane infinitum excedentibus.* Ibid. indicat virum illum inauditâ intumescentem φιλονεικία, & seipsum in immensum efferentem, esse à duobus professoribus Oxoniensibus Walliso & Wardo latis egregiè refutat. Nos eundem contra ministerium ejusque autoritatem c. 18. de cive & in *Leviathan* infelicitè theologizantem notavimus in 2. part. *Polit. Eccles. lib. 2. tract. 1. cap. 1.* de ministerii ecclesiastici necessitate, &c. Et hic ille est, quem tanquam novum naturæ miraculum, & pansophiæ helluonem aliqui evehere conati sunt. Similia portenta occurrunt in *Anonymi politic.* discursuum libris sex nostrate linguâ anno 1662. Leidæ apud Petrum Hackium excusis. Verba nunc non excerptam: contentus indicasse pag. 296. 297. Neminem debere proximum suum in negotio religionis errantem melius instituere, ubi illud sub sanctione poenæ à Magistratu prohibitum est. Ibid. conservationem sui ipsius hic esse normam agendi aut non agendi. pag. 338. cum pag. 296. 301. Concionatoribus non competere judicium de morali bono aut malo, deque eo quod in conscientiâ licitum aut illicitum sit, nisi particularem revelationem divinam de eo habuerint. Sed soli Principi aut Magistratui competere publicum judicium, de eo quod bonum aut malum est; & argumentationem de obedientiâ ipsis debitâ, quotiescunque aliquid mandant, debere præferri. pag. 316. Ecclesiasticos subito (belgicè *schielijck*) à Magistratu suo debere opprimi (belgicè *overvallen worden*): an inauditos opprimi & perdi velit, more Imperatorum Turcicorum, Japonicorum, Mogulicorum, Persicorum, &c. aliquando explicare poterit: atque unâ, an & quomodo hoc conveniat

niat cum libertate Reipublicæ nostræ anno 1581. constitutâ, & usque ad pacem cum Rege Hispaniarum initam anno 1648. armis & scriptis publicis defensâ. pag. 330. defendit mendacia, deceptiones, fraudes. pag. 338. 339. 342. dissertationi de naturali cujusque jure, deque libertate, adiaphoro, scandalo, de statu cujusque naturali & civili, varia paradoxa aut periculose dicta inspargit. pag. 72. - 75. posse quem per aliorum perniciem propriam conservationem quærere: magistratus præsertim debere communiter imitari factum Dei, qui per mortem filii sui nos liberavit. 332. 338. 339. Tales transcendentales Casuistæ, soli scil. conscientiæ casus ex jure civili, aut municipali, aut arbitrariis Magistratus decretis, aut ex Republicâ Platonis, aut ex proprii cerebri malè concretis phantasmatis (juxta nova principia, *Quod spiritus meus mihi suggerit, hoc verum est; quod clarè & distinctè percipio, hoc verum est*) posthac determinabunt; theologis quippe & synodis facessere jussis: Quippe qui (anonymo illo discursuum autore dictante p. 338.) non possunt aut debent docere, *quid moraliter bonum aut malum sit, quidque per conscientiam factu licitum aut illicitum sit: nisi peculiarem de eo habuerint revelationem divinam*. In *Asceticâ* nostrâ cap. 24. pag. 670. tertium quem ejusmodi Libertinicum Casuistam notavimus. Si hæc hominum istorum licentia favorem ultra invenerit, improbitatem & insaniam suam magis magisque detegent. Sed nos his missis explicationem & distinctionem utriusque fori aggrediamur. Erunt forte, qui novis illis nodis novos cuneos, & novis insaniis novas hellebori infusiones, aut spagyricè extractos hellebori spiritus aptaturi sunt. Et audio virum doctum in Belgio contra *Hobbes* tale opus jam paratum habere.

Forum metonymicè notat *judicium*. Quod est vel *internum* propriæ conscientiæ de propriis factis: vel *externum* de actionibus aliorum. De *interno* agunt scriptores de conscientia: quales ex nostris *Perkinsus lib. 1. de conscientia*, *Amesius lib. 1. Balduinus lib. 2.* Ex Pontificiis, inter recentiores instar omnium sit *Martinus Bresserus Jesuita*, qui sex libris materiam de naturâ & affectionibus conscientiæ complexus est. *Externum* judicium de actionibus aliorum potest esse super tribus quæstionibus. 1. super quæstione status inficialis, an fecerit. 2. *Super* quæstione finitudinis seu qualitatis, quale scil. illud sit, quod quis fecit aut faceret: idque tum in genere, an sit moraliter bonum vel malum, honestum vel turpe, licitum vel illicitum; tum in specie, an sit formaliter & specificè bonum opus seu virtus eleemosynæ, aut justitiæ distributiivæ, aut commutativæ, aut temperantiæ, &c. an formaliter sit simonia, sacrilegium, mendacium, rebellio, perjurium, superstitio, idololatria, &c. 3. *Super* quæstione quantitatis; quantum scil. sit commissum peccatum. *Qualitatem & quantitatem* videtur ille determinasse,

minasse, qui sub finem anni 1665. Academicę disputationi inferebat hanc assertionem, quod *Prognostica Cometarum* statuere (prout ego in Exercitatione meâ eodem anno editâ statueram), sit *superstitio & peccatum inexcusabile*.

Externum hoc judicium de actionibus aliorum, & quidem primariò quod ad quæstionem & statum finitudinis seu qualitatís in genere & in specie; secundario quod ad statum & quæstionem *quantitatís*; Vulgò distinguitur in *judicium* seu *forum poli & soli*. Quod alii vocant *forum cæli*, seu *interius* seu *conscientiæ*, seu *animæ*, seu *divinum*; & *forum exterius* seu *humanum*.

Forum seu *judicium poli* est illud, quod de *actionum & dispositionum humanarum morali bonitate aut malitiâ* fertur ac ferri debet ex *soliis divini Juris applicatione ad hominum facta aut dispositiones*. In quo foro spectanda sunt *causæ, lex, iudicium*. *Causæ* in hoc foro spectandæ & definiendæ, sunt omnes actus humani; nullo excepto. *Lex* est conscientia divinâ lege informata. *Judex*, qui jus dicit, est Deus: cujus hoc forum est.

Forum seu *judicium soli* est illud, quod de *actionum & dispositionum humanarum licito aut illicito, iusto & injusto, legitimo aut illegitimo*, fertur per *humani juris & legis sive jubentis, & approbantis, sive permittentis, aut per dispensationis specialis, aut saltem conniventie superiorum, aut per receptæ & præjudicatæ doctrine falsæ applicationem ad hominum facta*.

Forum hoc phrasi Apostolicâ 1 Cor. 4. v. 3. vocari posset *dies humanus*: ubi omnia judicia humana, privata & publica intelligi debent.

Forum soli seu *judicium humanum publicum*, est vel *ecclesiasticum, vel politicum*.

Ecclesiasticum forum vulgò sic dictum (sed improprie aut analogicè: quia ecclesia non habet jurisdictionem cum Imperio), respectu Dei & juris divini verbo Dei descripti non tam *judicium*, quam *indicium* est. Quomodo autem potestas & regimen Ecclesiæ à potestate & regimine sæculari differat lib. 1. *Politic. Ecclesiastica tract. 2.* explicuimus.

Politicum forum quid & quale sit à Iurisconsultis discendum est, & hic à nobis præsupponitur. Discrimen solummodo inter *forum poli*, & inter *forum soli* in genere sive ecclesiasticum sive politicum; & rursum discrimen in specie, inter *forum soli ecclesiasticum*, & inter *forum soli politicum*, hic, observandum.

1. In *foro poli* seu conscientiæ nihil attenditur, nisi jus divinum tabulis veteris & novi Testamenti consignatum. Cui addimus jus naturale, ex lumine naturalis synteresios, & rectæ rationis rite deductum, scripturę nullibi repugnans. In *foro soli* etiam attenduntur leges humanæ, & speciales secundum

cundum circumstantias ac status rerum, personarum, locorum, temporum determinationes.

2. *In foro poli* etiam inhærentes dispositiones, motus primo primi, & minimæ cogitationes, etiam bona opera quatenus imperfecta (liquidem ab aliquo nobis indicentur); breviter omnes actus humani, secundum legem & jus Dei judicantur moraliter boni aut mali; aut imperfecti: In foro soli, illa aut omnino non, aut non ita attenduntur; saltem non ita, ut quis propterea constituatur reus; in foro ecclesiastico censurâ notandus, aut in foro politico poenâ afficiendus.

3. *Forum poli seu conscientia*, non debet conformari *foro soli seu externo*: sed contra externum debet se conformare *interno seu poli*. Ne iudicium Dei subjicatur iudicio hominum.

Discrimen inter forum soli ecclesiasticum, & inter forum soli politicum est
1. *Quod* illic secundum Dei verbum, & communem ac receptam doctrinæ formulam, nec non canones ecclesiasticos iudicetur: hic vero secundum corpus juris civilis Romani iudicetur in omnibus; exceptis iis, quæ per regnorum & politiarum peculiaria statuta, aut per jura municipalia determinata sunt.

2. *Quod* omnia consilia, dicta, facta, (quatenus aut scandala sunt, aut occasio mali, aut species mali) illic iudicentur; si modo ad notitiam Ecclesiæ perveniant, aut pervenire possint: istic vero non iudicentur, nisi facta bono societatis politicæ repugnantia, & pacem publicam turbantia.

3. *Quod* illic omnia iudicentur secundum potestatem inferiorem & ministrantem: istic vero secundum potestatem imperantem & coactivam.

Conferamus nunc doctrinam Pontificiorum. Distinguunt illi forum seu 3. iudicium externum de factis aliorum, in forum interius, seu *conscientia*, & in forum externum, seu *contentiosum*. Interius etiam appellant *forum penitentiale*; cui præfectos dicunt omnes sacerdotes sive minores sive majores, jurisdictione spiritali divinitus per collationem ordinis sacerdotalis, seu per ordinationem episcopalem instructos: juxta textus Math. 16. *Tibi dabo claves*, &c. & Joh. 20. v. 20. *quorum remiseritis peccata*, &c. Quibus addere solent, dictum Christi Math. 8. v. 4. *Vade & ostende te sacerdoti*. Corn. à „ *Lapide in comment. ad locum cit.* Mundatio lepræ symbolum est sacramenti „ poenitentiae & confessionis sacramentalis, quâ peccata expiantur; cujus „ proinde vim & efficaciam ex lepræ typo contra hereticos probant S. Hieronymus in cap. 16. Mathei, &c. & S. Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio, ubi „ docet officium sacerdotum Christianorum longè efficacius & præstantius

,, esse Aaronicorum, eo quod hisce lepram non curare, sed curatam duntaxat
,, ostendere : illis vero peccata non curata ostendere, sed verè curare & con-
,, donare concessum sit.

Addit ibid. Christum ideo in passione leprosi formam assumpsisse, *Jes. 53. v. 4.* ut lepram animæ nostræ in se susceperet & curaret. Et hac de causâ in formâ leprosi apparuisse Martyrio monacho, & S. Ludovico Tolosatum episcopo, qui fuit nepos S. Ludovici Regis Franciæ. Hinc etiam libri quidam Casuistici inde titulum gerunt. *Hier. Savanorolæ Eruditorium confessoriorum; Joh. Nider, de leprâ spirituali; Godeschalci Roosemond, de ratione consistendi; Anonymi, methodus confessionis, Antwerpiae apud Steelsium anno 1550. in 16.; Josephi Augustini Jesuita, brevis notitia eorum, quæ scitu vel necessaria, vel valde utilia sunt confessorii; Martini Funes, speculum morale & practicum pro confessorii & pœnitentibus instructum; Emanuelis Sa aphorismi confessoriorum; Fr. Toleti, instructio sacerdotum; Martini Navarri Manuale confessoriorum & pœnitentium; Valerii Reginaldi Jesuita vastum volumen tit. Praxis fori Pœnitentialis, ad directionem confessorii. Andrea Hispani Romanæ Ecclesiæ pœnitentiarum & Episcopi Civitatis, Speculum consistentium.* Præterea nunc libellos confessionales vulgaribus linguis (Italicâ, Lusitanicâ Germanicâ) editos. Præverat ejusmodi inquisitoribus & confessionalibus *Burchardus Episcopus Wormaciensis* 20. libris decretorum ubi à lib. 17. usque 20. inclusè, pœnitentiale forum instruit.

Forum hoc *interius* seu *pœnitentiale*, secundum doctrinam & praxin *Papatus*, distingui potest in *simplex* seu *absolutum*; & in *qualificatum*, seu cum gradu eminentiæ. *Simplex* forum est, quorumvis sacerdotum, qui instructi sunt potestate ordinis, & jurisdictionis, quam habent in pœnitentes, tanquam reos sibi subditos, sui fori & non alieni. Et sic distinguuntur confessores in ordinarios, seu proprios, & extraordinarios. *Ordinarii* & ex officio *proprii* sunt, Papa, episcopi, parochi, prælati. *Extraordinarii* sunt, qui ex delegatione, commissione seu concessione superiorum ad id admittuntur. Extraordinarii rursus distinguuntur in *seculares* sacerdotes per delegationem superiorum, ad confessiones admissos. 2. In sacerdotes *religiosos* mendicantes, aliosque regulares, ex privilegio admissos. 3. In *electos*, qui ex sacerdotibus, virtute alicujus jubilei seu indulgentiæ, à consistentibus ad confessionem suam audiendam liberè eliguntur. *Qualificatum* forum interius, est Papale, episcopale, abbatiale. Hinc apud Canonistas eximuntur simplicis fori sacerdotalis judicio, casus *reservati* (quos ita vocant); itque triplices, Papales, Episcopales, Abbatiales. Quos peculiari libro enumeravit & explicuit Joh. Chapeaville Vicarius Leodiensis anno 1614. qui in frontispicio scribit, *tractatum* illum de casibus *reservatis*

tis apprimi utilem & necessarium esse omnibus pœnitentiariis & confessoriiis, non solum diœcesis Leodiensis; sed & Colonienſis &c. Ultrajectenſis, &c.

Post illud de iisdem casibus tractatum edidit *Franciscus Coriolanus Capuchinus* anno 1623. Compendio autem gustum theologiæ & praxios Papiſticæ, de casibus reservatis, deque jure fori interioris tum simplicis tum qualificati seu graduati (ita loquar), habebis in *Claudii Soleri tract. de Juridica potestate confessoriorum*, Moguntinæ 1618.

Forum hoc interius, & potestatem juridicam confessoriorum judicialiter, seu per modum justitiæ spiritualis sic exerceri dicit *Fr. Soleri*, ut clave regni cœlorum primo & principaliter aperiatur, secundo claudatur. Aperit sacerdos, cum pœnitentem bene dispositum absolvit à culpa aufereundo peccata, quibus regnum cœlorum occludebatur; & gratiam Dei communicando; denique ut hæredi regnum cœlorum aperiendo. Ligat vero & claudit, cum pœnam æternam remittendo, eam commutat in pœnitentiam seu pœnam temporalem. Romana hæc mysteria exposita & disputata habentur in *Thoma part. 3. qu. 84.-90.* & in *supplemento qu. 1.-17.* etiam in *Petri de Ledesma tract. de septem sacramentis*, & in *Alphonſi Vivaldi candelabri aurei part. 1.* Ex nostris ea examinavit *Chemnitius* in *Exam. Concil. Tridentini*.

Forum externum seu contentiosum, juxta doctrinam & praxin Romanam, distingui debet in sæculare (de quo Jureconsulti), & in sacrum seu ecclesiasticum. Posterius est vel generale vel particulare. Generale est circa quamcumque materiam seu quæstionem contentiosam. Quod rursum est vel sæculare, vel regulare. Illud est vel Papale, vel Episcopale, vel Capitulare seu canonicale. Ad Papale seu Pontificale pertinent, tractatus de camera apostolica, & *Vestrii Barbiani tractat. de modo procedendi in curia Romana.* Episcopale, explicant tractatus *Zerolæ & Piaſecii de praxi episcopali Capitulare*, quatenus id in quibusdam ab episcopali separatur, per jurisdictionem peculiarem competentem archidiaconis explicant scriptores de Canonicis, alibi indicati. Regulare Forum habes, in *Roderici quæst. regularibus & canonicis tom. 4.* & in *Barthol. Miranda Manuali prælatorum regularium.* Particulare forum ecclesiasticum, est Inquisitorium, quod circa solas quæstiones de infidelitate, hæresi, apostasia, relapsu occupatur. De quo foro alibi & suo loco aliquid dicendum erit: specialiter etiam de inquisitione per Philippum II. tunc Belgarum principem in Belgium nostrum coëptâ introduci: teste *Nicol. Burgundo* religionis reformatæ & libertatis Belgicæ adversario infensissimo in sua *historiâ*.

Accedimus nunc ad quæstionem principalem; cujus determinatio in ca-§. 4. suum & dubiorum recta in foro divino (seu animæ, aut poli) explicatione, necessario præmittenda ac præsupponenda est.

Quæritur ergo, an idem sit forum seu iudicium poli & soli: & an duo illa fora seu iudicia reciprocentur, ac sint ἀντιστοίχα, atque adequata: ita ut, quod in uno licitum, iustum, legitimum sit, etiam in altero sit; & vice versa. Nos neg. moti argumentis tum generalibus, tum specialibus per singula decalogi præcepta.

Argumenta generalia sunt 1. quia, iustitia personæ seu universalis quæ requiritur & iudicatur talis esse in foro soli; alia est à iustitiâ personæ, quæ requiritur & iudicatur in foro poli. Ergo forum soli aliud est à foro poli: & jus ac iustum in illo foro, aliud à jure & iusto in isto. Philipp. 3. *Secundum iustitiam, quæ est in lege, irreprehensibilis.* 1. Cor. 4. v. 4. *Nullius enim rei mihi conscius sum: sed non per hoc iustificatus sum: Dominus autem is est, qui me iudicat.* Rom. 4. v. 2. *Nam si Abraham ex operibus iustificatus fuit, habet quod gloriatur, at non apud Deum.* Vide Calvinum lib. 3. *Institut. cap. 12.* egregie differentiam tribunalis Dei à tribunali humano, & iustitiæ in illo à iustitiâ in isto, explicantem.

11. Quia singularum actionum humanarum licitum, legitimum, iustum, aliud est in foro poli & aliud in foro soli: Ergo illud forum ab isto differt. Quod in foro poli iustum & legitimum est, in foro soli sententiâ simplici, aut sententiâ jurisdictionis, aut utrâque ἀνομιᾶς & iniustitiæ aliquando condemnatur: & vice versâ. Malum enim quandoque vocatur bonum, & bonum vocatur malum *Jes. 5. v. 20.* condemnatur iustus, & iustificatur impius *Prov. 17. v. 15.* Quo respiciens Apostolus dicit, minimum sibi esse, ab humano die iudicari. 1. Cor. 4. v. 3.

111. Quia objecta fori soli differunt ab objectis fori poli. Objecta de quorum morali bonitate aut malitiâ in foro poli iudicatur, sunt omnes actiones humanæ non tantum exteriores sive solitariè & occultè sive apertè factæ: sed & interiores sive elicite à voluntate, sive ab eâdem imperatæ intellectui aut reliquis facultatibus: usque ad minimos motus primò primos; hoc est, usque ad minimas cogitationes aut cupiditates, contra ullum Dei præceptum. Etiam omnes interiores animi dispositiones & habitus, seu inherentes potentie & impotentie: cœcitas mentis, perversitas voluntatis, inordinatio affectuum. *Jerem. 17. v. 9.* *Fraudulentum est cor præ omnibus, & perversum est, quis cognoscet illud?* Rom. 8. v. 7. *Quoniam quod sapit caro, inimicitia est adversus Deum. Legi enim Dei non subicitur: nam ne potest quidem.* Galat. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum, &c.* 2. Petr. 1. v. 9. *καφλός ἐστι μνοπήζον.*

Contra in exteriori foro soli publico ac politico, nihil nisi actiones hominum exteriores, verba scil. & facta iudicantur, tanquam licita aut illicita, & consequenter laude aut vituperio, pœnis aut præmiis digna censentur:

tur: non tamen omnia sed quæ communi bono politico, seu symbiotico obesse & pacem publicam turbare putantur. Notandum hoc axioma Juris l. 17. ff. de pæn. Cogitationis poenam, neminem pati. Quod quas habeat exceptiones, docet *Conradus Rittershusius libr. 7. sacr. lection. cap. 12.* Etiam in exteriori foro ecclesiastico, non tantum dispositiones inhærentes, & actiones interiores non judicantur (nisi quis in petitione explicandi casus conscientiae, ecclesię aut ministris suas interiores cogitationes, dubitationes, tentationes sponte detegat): sed ne quidem omnia dicta & facta externa, e. gr. otiosa, nec omnes species mali, nec omnes omissiones boni, nec plura alia quotidianę incurfationis peccata, breviter omnia quæ scandalum non præbent; quæque consequenter non sunt materia correptionis ecclesiasticæ, multo minus censuræ minoris aut majoris.

Constat ergo hoc respectu forum poli à foro soli distinguendum:

IV. *Quia in foro poli unica norma* & perfecta atque adæquata regula judicii, est lex divina primariò & plene in verbo Dei; secundariò & aliquà etiam ex parte in lumine naturæ ac recta ratione, revelata. *Rom. 2. vers. 14. 15.* Hinc Apostolus *Rom. 7. vers. 14. & 12.* legem dicit *spiritualem & sanctam.* In foro soli, norma judicii, sunt leges, statuta, scita humana, scita Divinalia (uti appellat *Arnobius* leges Imperatorum, qui Divi appellabantur) mores, consuetudines, & jura gentium; religionis alicubi receptæ ac stabilitæ dogmata quamvis in totum aut potiore partem, aut in quibuldā, falsa & fallentia; Canones antiquæ ecclesiæ; Jus canonicum Pontificale, tum vetus tum novum; Canones nationalis cujuscunque ecclesiæ; Exemptiones, indulta, dispensationes, permissiones, tolerantia, conniventia principum; & privilegia sive realia sive personalia; sententiæ judicum, & res judicatę ac præjudicatæ.

Ergo hoc respectu differt forum poli à foro soli; sive politico sive ecclesiastico, sive superiori sive inferiori: ita ut quod in isto inculpatum, justum, legitimum censetur; in illo pariter tale censendum non sit. Hic imprimis considerari debent humanæ leges malæ, & injustę tum antiquę, (de quibus *Theodoretus de curationibus Græcor. affect. libr. 9.*) tum hodiernæ apud Gentes Achristianas. An apud gentes Christianas omnes leges sint justæ & juri divino ac naturali convenientes, Jureconsultis & politicis inquirendum relinquo.

V. *Quia forum poli in moralibus* (contradistinctè, ad ceremonialia & forensia Israelitarum) quę communiter omnes homines concernunt, tum legibus tum judiciis est immutabile; nec vel minimum jota de legibus illis mutatum est, aut mutari debet *Matth. 5. vers. 18. 19.* uti orthodoxi contra Socinianos solidè tuentur. Sed omne forum soli quod ad leges, jura, judicia

dicia sua, mutatur, & mutari non tantum potest, sed etiam sæpe necesse est. Vide mihi jus civile Romanum, & omnia jura quarumcunque nationum, quantum posteriora à prioribus mutata sint. Vide placita & dogmata religionis Christianæ, jam inde ab Apostolis, per sexdecim sæcula successivè. Jus Canonicum hodie exsertè distinguitur, & in titulis præscribitur, *Jus canonicum novum*. De quo vide 1. part. *Polit. Eccles. libr. 1. tract. 2.*

VI. *Quia* non tantum ab ecclesiis & theologis in explicatione casuum conscientiæ; sed etiam à verà religione imbutis principibus, politiis, Magistratibus, distinctio facta est inter *forum poli* & *soli*, & utriusque jus ac justum. Sic in Republicà Israelis in *foro soli*, & juxta leges forenses Mosaicæ licitum νόμιμος erat repudiare uxorem, extra causam adulterii & alteram ducere: quod tamen illicitum & illegitimum erat in *foro poli*: Uti hoc evidenter docetur à servatore nostro *Matth. 19.* Et hoc præfecti, Reges, Magistratus Israelitici (quales Moyses, Josua, David, &c.) non ignorarunt, nec prophetæ, nec pii sacerdotes & νομιοι, quorum labia custodiebant scientiam *Malach. 2. vers. 7.* Quamvis enim ipsi politicè permitterent aut tolerarent malum illud in duro illo populo, nec pœnis coercerent, immo & permissionem atque impunitatem legibus sancirent, & judiciis suis exquererentur: non tamen in foro conscientiæ tanquam coram Deo, & secundum legem divinam, licitum, honestum, justum illud judicârunt, & probârunt. In eadem politiâ Israeliticâ per peculiarem conniventiam raptus virginum Silonitarum ad conjugium permissus & impunitus fuit, tanquam malum (ut vocant) necessarium. *Judic. 21. vers. 19. - 23.* Quem tamen fideles & pii omnes, imprimis judices, sacerdotes, Levitæ, omnesque juris divini periti nôrant, & nos judicamus in foro poli & conscientiæ illicitum esse. Nunquam licet facere malum turpe, ut eveniat bonum, aut ut evitetur malum triste. Sed raptus violentus ad conjugium est malum turpe. Videndi de raptu *Martyr & Lavaterus in comment. ad Judic. 21.* & commentatores in *Genes. 34.* ubi de raptu Dinæ. In hodiernis Christianorum politiis multa in foro soli sunt licita, propter permissionem aut tolerantiam politicam lege aut consuetudine firmatam: quæ tamen in foro poli seu in conscientiâ factu illicita esse nôrunt, & judicant, non tantum theologi, sed & ipsi Principes at Magistratus, qui permittunt, & leges de permittendo ferunt. Ita in Germaniâ Principes ac Magistratus Judæorum mensas foenebres & immanes usuras permittunt; quas tamen omnes judicant in foro conscientiæ secundum jus divinum & naturale esse peccata. Quid? quod Principes & Magistratus Pontificiæ religioni addicti qualcumque ex mutuata pecuniâ usuras censent intrinsecè & simpliciter esse

esse malas. Cujus sententia etiam fuerunt ibid. & in Helvetiâ plurimi aut plerique primi & proximè succedentes theologi protestantes ac reformati : uti in *disp. nostra de Usuris* ostensum est. In Belgio fœderato, post religionem reformatam inibi stabilitam, distinguere nôrant *forum poli* à *foro soli* Magistratus & judices illi, qui cautè & in terminis sic loquebantur: *Fœnus trapeziticum & trapezitas per conniventiam in Republicâ tolerari*. Tacitè etiam forum distinguebat *anonymus* in discursu de mensis trapeziticis à Joh. Jacobo Gerbino trapezitâ Franekerano anno 1629. typis edito ; per totum discursum nihil præter *necessitatem* & Magistratus *tolerantiam* aut *conniventiam* obtinendo, & pag. 19. dicendo posse & debere vocari *malum necessarium*. Ubi trapezita Gerbinus in margine apposuit, aut apponi curavit : *Wat necessarium is / is noortwendigh / ende alle noortwendige zijn goet in de Republijcke*. Sed de hoc pluribus, in Facultatis Theologicæ Ultrajectinæ *Re Judicata* vernaculo sermone 2. *partibus* editâ. Et nos infra in *disp. de Usuris*. Eandem fori distinctionem agnovit politia Anglicana, cum in actis Parlamentariis a 21. Regis Jacobi, limitationi usuræ usque 8. præsentī legi subjiceretur : *Ne verba hâc lege contenta construerentur aut exponerentur, ad praxin usurariam in puncto religionis aut conscientie approbandam*. Similiter in multis bene constitutis politiis, etiam in Belgio fœderato plurima politicè licita & impunita habentur ; quippe nullis legibus, nullis sanctionibus prohibita : quæ tamen in *foro poli* minimè licita esse omnes judices & Magistratus reformati ex juris divini tabulis probè nôrant : qualia sunt ex. gr. ebrietas, simplex fornicatio personarum liberarum, immaturus concubitus ante matrimonii confirmationem ; intemperantia in cibo, in somno, in superfluâ suppellectile, in vestium preciositate & multitudine ; vita otiosa absque ullâ occupatione, vocatione, labore ; liberorum educatio, absque discentiâ lectionis & scriptionis ; abstinentia ab usu coenæ, ab omni verbi auditu, à sanctificatione diei dominicę per publica & privata pietatis exercitia. Inter Jureconsultos & polyistoras celeberrimus *Grotius lib. 1. de Jure pacis & belli cap. 4.* distinctionem inter jus ac licitum in *foro poli* seu divino, & inter jus ac licitum in *foro soli*, haut obscurè innuit : „ Quod vero apud Samuelem est de jure Regis, omnino rectè inspicienti „ apparet, nec de jure vero intelligendum, id est, de facultate honestè & „ justè aliquod agendi (longè enim alia vivendi ratio præscribitur regi in eâ „ parte legis, quæ est de officio regis) neque nudum factum indicari, &c. De quo nos infra in *disp. de jure regio Hebraorum. Camdenus part. 4. hist. Elizabethæ Anglię Reginæ ad annum 1601. pag. 800.* refert Comitem Essexium à *Paribus* reum pronuntiatum his verbis eisdem allocutum ; *rogo ut in conscientia vestra foro me, qui nihil mali in principem cogitavi, absol-*

vatis, & si in foro iudicii condemnaveritis. En distinctionem iudicii & fori duplicis in iisdem iudiciis. Quomodo eam intellexerit, & an rectè applicuerit, hic non inquirō. Aulici omnes, saltem plerique & viri ac ministri politici, qui modo elementis Christianæ pietatis imbuti sunt, nōrunt satis omne mendacium, etiam *officiosum* (ita dictum) in foro poli, & secundum jus divinum esse illicitum: nihilominus multi ex iis in pragmatiis & negotiationibus politicis, eodem utuntur tanquam necessario, ad bonum publicum; & consequenter in *foro soli* non tantum licito, sed & prudentiæ ac fidelitatis nomine ab aliquibus Principibus & Magistratibus, quorum interest, laudato. Omnes Principes & Magistratus reformatam religionem amplexi, & idololatriæ Pontificiæ alteriusve erroneæ religionis exercitia domestica, aut privato publica, aut publica permittentes, satis distinctè judicant illa licita esse in suâ Republicâ: minimè tamen aut errantibus illis, aut ulli homini licita & ab omni culpa libera esse in foro poli. De theologis nostris, non est dubitandum, quin communiter hæc fora distinguant. Unus forte si reperiretur, qui ex ignorantia, aut prævaricatione, aut contentione, aut rerum suarum studio, (quod hypothesi ipsius hoc ita subserviat), aut contradicendi libidine ea confunderet; nullo numero hic haberi deberet, &c. Nos viam veram, tritam, tutam, hac in parte instituisse antehac ostensum est, *part. 1. Politicæ Ecclesiæ lib. 2. tract. 2. sect. 4. cap. 3. quæst. 9. & lib. 4. tract. 2. cap. 7. pag. 728. & seqq. & in consil. theologici de bonis ecclesiasticis, &c. part. 1. pag. 31. & seqq.* Solummodo hic discipulis nostris indico inter Pontificios *Navarrum*, quidquid in causarum quorundam patrocinio heterogenea subinde misceat ac confundat, *cap. 17. sui Manualis*, eadem in dissertatione supra cit. accuratè distinguere. Et post illum *Johannem Sanches in selectis & practicis disp.* anno 1644. novissimæ redictionis *disp. 48.* in propositis quibusdam casibus distinctionem hanc applicare. Et Jesuitam *Martinum Bresserum lib. 1. de conscientia cap. 2.*: ubi exsertè distinguit & discrimen utriusque explicat. „ Qui inter alia *ibid.* scribit: Unde sequitur non esse idem forum „ conscientiæ & poenitentiae, cum quo aliqui illud confundunt: quia omni- „ no diversum est iudicium sacramentale, quod exercetur à confessario de „ peccatis alienis & conscientiæ, quod exercetur de propriis, &c. Non ne- „ go tamen forum & iudicium poenitentiae rectè dici & esse etiam con- „ scientiæ, adeoque ab homine etiam iudicium hoc exerceri in foro inter- „ no conscientiæ alienæ. Tantum dixi id non esse necessarium, scilicet ad „ forum & iudicium conscientiæ propriæ undique internum. Ex nostris *Calvinus lib. 4. Institut. cap. 10. S. 3. & 5.* Quæstione propositâ de humanarum legum obligatione in conscientia: Hæc, inquit, *quæstio plerisque ideo impedit; quod inter externum* (uti vocant), *& conscientiæ forum, non satis subti-*

subtiliter discernunt. Et §. 5. Quo pertinet illud vulgare discrimen, inter terrenum & conscientiae forum. Quum totus orbis densissimâ ignorantia caligine obvolutus esset, hac tamen exigua lucis scintilla residua mansit, ut humanis omnibus judiciis superiorem esse homini conscientiam intelligerent. -Johannes Paulus Felwinger politicæ Logicæ, & Metaphysicæ in Acad. Altorfinâ Prof. in Chrematisticâ seu explicatione politicâ rationis direscendi disp. 4. de usuris licitis & illicitis disputans, hanc distinctionem præsupponit & quæstionis determinationi applicat §. 13. pag. 86. „Quoniam autem aliquid ex multis causis sive principiis potest esse & fieri illicitum: nempe potest esse aliquid illicitum ex jure Naturali, ex jure Gentium, ex jure civili, &c. Eadem mens theolog. & Jureconsult. ibidem citatorum, qui juri divino repugnantes statuunt usuras pauperibus extortas quamvis ~~romæ~~ aut consuetudine permissas. Eodem tendit explicatio legum de licitâ deceptione in contractibus, quam habet Tholosanus in præludii optimi Jureconsulti probique Magistratus lib. 2. cap. 13. distinguendo inter honestum & licitum. Quamvis ibidem alium conciliandi modum præferre videatur. Conferri etiam potest 3. part. select. disp. tit. de theologiâ practicâ. Et part. 1. Polit. Eccles. lib. 2. tract. 2. sect. 4. cap. 3. pag. 771. & seqq. -- 779. Et pag. 888. & seqq. Et lib. 3. tract. 1. cap. 4. & 5. ubi de conjugii in Foro Soli licitis, in Foro Poli illicitis; & vice versâ in Foro Poli licitis, in Foro Soli illicitis: qualia e. gr. patruelium & consobrinorum.

P A R S S E C U N D A.

Resp. MICHAELE SARFEY Hungaro. 24. Febr. 1666.



Actenus distinctionem Fori Poli & Soli, & liciti in §. 1. illo atque isto argumentis generalibus probavimus: restat nunc argumentis specialibus per singula decalogi præcepta discrimen illud ostendamus.

Primo Decalogi Præcepto præcipitur cognitio, fides, cultus unius veri Dei, qui est unus essentiâ trinus personis. Atqui ignorantia illa Dei non tantum, sed & *ἀπιστία*, immo fides ac cultus multorum Deorum non tantum apud Gentiles antiquos & hodiernos permissa & concessa, sed & mandata fuit. Notus est primus versiculus aureorum carminum Pythagoræ:

Ἀγνῶτες μὲν πρῶτον θεοὺς, νόμον ὡς ἀδικεῖνται, &c.

Et Socrates Athenis impietatis condemnatus ac morte multatus fuit, quod

Deos Gentilium lege illic receptos non agnovisset & veneratus esset. Aliud ergo fert *τομὸν* & *χώρα*, ejusque forum; & aliud Forum Poli. De cognitione, fide, & cultu Dei triuni & uniciservatoris Jesu Christi in foro sive politico sive ecclesiastico Muhammedistarum, & hodiernorum Judæorum, notum est ex hodiernâ eorum theologiâ; quæ rejicit verum Deum patrem, filium & spiritum s.; consequenter verum Deum non agnoscit, credit: uti hoc solidè demonstratum est à Nicol. Vedelio in tract. de Deo synagoge.

In tam multis politiis licita non tantum sed & sub sanctione gravissimæ poenæ mandata est religiosa adoratio sanctorum, panis missatici, aliarumque rerum, quæ non sunt unus ille verus Deus: Mandata insuper est laicis in utroque foro soli ecclesiastico & politico, fides implicita, hoc est, rerum divinarum ignorantia; prohibita lectio scripturæ: uti constat ex regulâ quartâ indicis librorum prohibitorum juxta decretum Concil. Tridentini cum annotatione Pii V.

Eadem idololatria licita est in variis politiis reformatis; ut & aliæ damnatæ hæreses; sive publicè, sive privato publicè in conventibus, sive privatim in familiis exercitæ: idque vi permissionis aut tolerantiae in foro politico supremarum potestatum decretæ ac stabilitæ. Quod idem dicendum est, de Judaicâ, Arianâ, Photinianâ, Libertinicâ, aliisque apostasiis & Achristianismis. De quarum permissione & libertate alibi pluribus actum *part. 1. Politic. Ecclesiast. lib. 4.*

- §. 2. *Secundo Decalogi præcepto* repugnant peccata omissionis, religionis & dierum cultus instituti tum publicè tum privatim exercendi non-observatio, seu neglectus: quæ ἀνεξία in multis politiis tum Achristianis (ex. gr. Muhammedicis), tum variis Christianis & quidem reformatis licita est; in foro tamen poli illicita. Ad irreligiositatem referri potest non-observatio visitationis divinæ (*Luc. 21. Matth. 23. & 24. Ezek. 16.*) sive per gratiam & benedictionem, sive per judicia: Non-attentio trepida ad verbum Dei (*Jesa. 66. v. 2.*): contemptus & derisio ἀσέβειαν & ἀπειθεσίαν signorum, de quibus servator *Luc. 21. v. 10. 11. Insurret gens in gentem, & regnum in regnum. Et magni terremotus erunt singulis locis, & fames & pestilentia, & terribilimenta, & signa è cælo magna erunt. Et Matth. 16. v. 2. Quando serum est diei, dicitis, serenitas: rubet enim cælum. Et mane, hodie erit tempestas: rubet enim cælum triste. Hypocrita faciem quidem cæli nobis discernere, signa vero tempestatum illarum non potestis.* De Prognosticis Cometarum quidpiè sentiri possit Deo & experientiâ præeunte, nuper exposui tract. de Prognosticis Cometarum. Peccata commissionis sunt, cultus alienus, supersticiosus, idololatricus, iconolatricus: qui in variis Achristianis Politiis probatur & mandatur; ut & in Papisticis sub nomine Christiano: in variis Chri-

Christiano reformatis permittitur, & hoc respectu sive publicè, sive privato. publicè, sive privatim in familiis licitus est. Specialiter usus aut potius abusus crucis aliorumque commentorum humanorum in multis politiis, sub nomine Christiano, mandatur: in quibusdam perfectè reformatis sive publicè sive privatim permittitur: qui tamen in foro poli illicitus est, quippe sapiens idololatriam aut superstitionem sive indirectam, sive participatam. De quo in 3. part. selectar. disp. tit. de staurolatriâ; collatis ibidem titulis de idololatriâ & de superstitione.

Idem censendum de processionibus, peregrinationibus, jubileis, deque litiis, rosariis, horis Canonicis, vigiliis, aliisque mortificationibus, ritibus ac sacramentalibus; de quibus in 3. part. select. disp.

Tertio decalogi præcepto repugnant, temeraria juramenta, aliique divini §. 3. nominis abusus; juramenta per idola; juramenta ex officio seu inquisitoria; perjurya, & dispensationes in voto aut juramento; fides non servata; æquivocationes & mentales restrictiones; lustrationes, execrationes; vota temeraria & superstitiosa; confraternitates sub nomine Mariæ, Sebastiani, Rochi, &c.: dæmonum adjurationes, expulsiones, ligationes; sive per modum mandati, sive per modum deprecationis: purgationes tum vulgares tum canonicæ ita dictæ; sortes tum ludicræ, tum superstitiosæ; sponsiones de quibuscumque futuris contingentibus; Omnia hæc in foro poli sunt illicita: aliqua tamen ex illis licita in Foro Soli Achristiano; aliqua in Foro Soli Christiano, immo & mandata; aliqua ex illis in Foro Soli Christiano reformato licita, saltem per tolerantiam, aut conniventiam.

Quarto præcepto repugnant, sabbathi Christiani seu diei dominicæ non. §. 4. observatio, alicubi in Foro Soli Achristiano strictè mandata. Eiusdem varieg profanationes, in politiis Christianis & reformatis publicè permixtæ, quædam etiam alicubi mandatæ; quædam privilegiatæ. Adde festorum Gentilium aut Papisticorum à majoribus acceptorum celebrationes. De quibus vide 3. part. sel. disp. tit. de sabbatho & festis, de Bacchanalibus, & in 1. part. Polit. Eccles. lib. 4. tract. 4. cap. ult.

Denique neglectus ἐπισκοπικῆς ecclesiasticæ; contemptus sacri ministerii: oppugnatio necessitatis, aut potestatis ministrorum & synodorum per Libertinos, hodiernos Enthusiastas dictos Tremulos seu Quakeros, per Semi-Libertinos, per Erastianos, per Hobbesianos, per Remonstrantes, aliosque libertatis, ita dictæ, contra falsò nominatam hierarchiam ecclesiasticam, tyrannidem, atque inquisitionem, Papalis (uti per artem calumniæ prætenditur) æmulam, zelotas. Quæ omnia quamvis in Foro Poli illicita (uti suo loco ex scripturis probatum), in aliquibus tamen politiis aliqua eorum licita; si non laudanda & præmiis decoranda videntur. Et hæc merito inter peccata clamantia numeramus.

- S. 5. *Quinto decalogi præcepto* repugnant, cœca obedientia inferiorum erga superiores, ejusque promissio (de qua nos infra peculiari disputatione); potestas mariti in uxorem extendens se ad verbera, etiam ad venditionem uxoris; uti in Angola aliisque partibus Africanis, etiam apud antiquos Gallos, teste *Cæsare lib. 6. de bello Gallico*: potestas patria, extendens se ad liberorum occisionem; apud Gallos teste *Cæsare lib. cit.*; & Romanos, aliasque Gentes, *Bo-dini lib. 1. politic. c. 4.* quale jus etiam obtinuisse apud Israëlitas, probare conatur *Tholosanus lib. 5. de præludiis*, &c. *cap. 7.* sed frustra, & absurdè nimis huc tracto exemplo Abrahami. Vide contra legem forensē Mosaicā *Deuter. 21. v. 22. 23.* Conjugia liberorum absque consensu parentum; dominorum jus vitæ & necis in servos: mercatura servorum utriusque sexus, & eorundem in manus quorumvis emtorum, tyrannorum scilicet latronum, prædonum, lenonum, meretricum, Sodomitarum, infidelium, hæreticorum traditio; absoluta & arbitraria potestas cujuscunque Magistratus, aut saltem Monarchici sive electitii sive successivi in regno pactionato, in vitam, liberos, & bona subditorum; de quo nos in *disp. de jure regio Hebraeorum*: nulla obedientia membrorum ecclesiæ erga suos pastores, contra *Hebr. 13. v. 17.* Regimen ecclesiasticum in electione ministrorum, usu clavium regni coelorum, ecclesiis ademptum, & alio translatum.
- S. 6. *Sexto præcepto* repugnant, Fratri suo temere irasci: vindictam erga eundem exercere per retorsionem, aut reconventionem; quamvis non sine convitio, aut obtredatione, aut calumniâ, aut mendacio: Vim vi repellere, juxta legem non scriptam, sed nobiscum natam, dictante *Cicerone in orat. pro Milone*; Homicidium sui ipsius, in multis antiquis, & nonnullis hodiernis politiis (ex. gr. imperio Mogulico, aliisque Indiæ Orientalis) permissum; etiam imperatum, ut in Imperio Japonico; quomodo antehac in Belgio pulveris pyrii incendium sociis navalibus imperari solet. De quo nos disquirimus in *disp. de homicidio sui ipsius*: Castratio & Eunuchismus puerorum: Fuga pestis, non sine subtractione officiorum erga uxores, parentes, liberos, proximos consanguineos, amicos, necessarios: Monomachia seu duella ad probationem & causæ determinationem olim apud Longobardos, aliosque populos permessa, aliquando etiam imperata: Artes & spectacula funambulorum: ludi seu pugne taurorum cum hominibus armatis, contra quæ exstat in *Bullario & in 11. decretal. tit. 18. constitutio Pii V.*, ubi vide annotationes. Torneamenta; contra quæ Extravag. Johannis 22. tit. 9. Bella sine necessitate aut injustè suscepta; qualia e. g. expeditiones cruciatae: Bella justè suscepta, sed satis injustè gesta: Temperamentum non adhibitum in occidendis hostibus devictis; temperamentum non adhibitum in hostibus, eorumque subditis exspoliandis: militiæ

militiæ professio in quovis, etiam injustissimo, etiam ad veræ religionis à se susceptæ extirpationem. Asyla homicidis, furacibus fallitoribus, aliisque facinorosis aperta; sive à clericis & regularibus, sive à dominis secularibus: *Ἀσφύλια*, per immoderatum vini, aut cerevisiæ; aut vini adusti, aut necotiani usum: *Assasynatus*, seu Homicidia Regum, Principum, Magistratum; ut & lanienæ hominum innocentium (quales Parisiensis anno 1572. Hybernica anno 1646. Pedemontanæ 1546. & 1655. & vallis Telinæ 1620.) volente jubente Papâ, & regibus ac principibus ad nutum Papæ: Ufus moderaminis inculpatæ tutelæ (uti patres Lojolitici prætendunt) cum veneno tollitur, qui in puncto honoris quem læsisse putatur: Omnis denique hominum persecutio fidei aut pietatis causâ; præsertim fidelium ministrorum vexatio, oppressio, ejectio, occisio; quæ in foro soli non tantum licita est, sed maximè probata & laudata *Johann.* 16. *vers.* 3.

Septimo Præcepto repugnant, jura primi concubitus: quibus alicubi juxta *S.* 7. *νόμον τοῦ Σάββατος* utebantur domini, quotiescunque proprii ipsorum homines uxorem ducerent; & primi concubitus pecuniaria redemptio, post receptum illic Christianismum; quæ etiamnum hodie obtinet. Hoc jus alibi tetigi, ad dissuasionem juris patronatus, iniqui foenoris, abusus bonorum ecclesiasticorum sub assumtis & ementitis titulis clericorum Romano-Papalium, aliorumque in foro poli illicitorum: infelicia juris humani alexipharmaca, *Jus quasitum nemini auferendum*, & *volente prætore qui possidet, justè possidet*, ad licitum ac justum in foro poli & conscientiæ minimè applicanda. Hic præter autores alibi notatos, libet adscribere ex notis M. Zuerii Boxhornii ad Suetonii Caligulam cap. 40. ad illa Suetonii verba: *Additumque ad caput legis, ut tenerentur publico, & quæ meretricium, & qui lenocinium fecissent: nec non matrimonia obnoxia essent.* *Virginalis, inquit pag.* 338. *prima violatio, &c. vetustissimis temporibus (apud antiquissimos septentrionales populos)* principibus omnibus viris & dynastis, qui *Domini Capitales* in legibus dicuntur, in suis ditionibus impie permissa, in omnibus novis nuptis, prima nuptiarum noctè. At invalescente religione Christiana mos ille paulatim sublatus, isque concubitus certo vaccarum numero & quasi pretio redemptus est. Inde in vetustis legibus Scotorum: *Quæcunque mulier fuerit, sive nobilis, sive serva: sive mercenaria, marcheta sua erit una juvenca, vel tres solidi; & rectum servientis tres denarii. Et si filia liberi sit, non Domini villa, marcheta sua erit una vacca, vel sex solidi.* Leguntur hæc in collectione legum antiquarum Scotiæ, quas nuper edidit nobilissimus *Skenaus*. Ejusmodi vectigalia in quibusdam Belgii nostri ditionibus pagorum dominis adhuc hodie pendun-

,,duntur. Non igitur soli Caligulae ea placuere. Haecenus *Boxhornius*. Ex historiis plurima, apud varias gentes, licita immo legibus aut moribus promota atque exercita fornicationum *βδελύγματα*, ex historicis observari possunt; quorum indicium facit *Tholosanus lib. 2. de praeludii optimi Jureconsulti, & probi Magistratus cap. 15*. Pergamus in notandis septimo præcepto repugnantibus; quæ sunt, polygamia in omnibus ferè politiis Achristianis: divortia & repudia, extra *λογον πορνείας*: concubinatus: nuptiæ incæstæ, non tantum inter Achristianos, sed etiam in Christianismo Romano-Papali. De quibus omnibus *part. 1. Politica Ecclesiast. libr. 3*. Concubitus desponsatorum ante matrimonii confirmationem; stupra peccatis honestis virginibus illata, absque debitâ restitutione; histronia & actiones scenicæ, aliaque spectacula amphitheatri apud Romanos, etiam aliquamdiu post receptum Christianismum usitata; & his similia, si quæ in hodierno Christianismo supersint: choreæ hodiernæ gynecandricæ; choreæ & nocturnæ discursitationes larvatae: balettæ, seu dramata saltatoria: luxus & vanitates in vestibus; alioque corporis & capillorum ornatu, in fucandâ facie, in corporis partium denudatione. De omnibus illis antehac egimus in *disp. de Excel-sis mundi*, infra inferendis. Adde lupanarium, scortationum & abominandarum libidinum apud varias Gentes Achristianas institutio; specialiter apud Romanos in palatio Imperatoris (*Suëtonius in Caligula cap. 41.*); quibus adde lupanaria, & meretrices publicas in Christianismo, ut e. gr. Romæ (vide *Rivetum adversus Petra Sancta cap. 16.*) & antehac in Hispania, nunc ibi abrogata. Huc refer tabernarum & popinarum quotidianas frequentationes, sui ipsius & aliorum inebriationes; per coactos, aut variis artibus ac conditionibus impositos multorum aut magnorum poculorum haustus. De quibus infra in *disp. de Ebrietate*.

- S. 8. *Octavo præcepto* repugnant, avaritia, & bonorum profusio; pyratice, qualis ex. gr. antiquorum Normannorum tunc Gentilium, & hodiernorum Tunetanorum, Aligeriensium, Tripolitanorum: pignoris detentio, *Exod. 22*. mordentes usuræ, quas infra tangimus in pseudo-graphemate usurario: Furta politicè licita; ut apud Spartanos, teste *Xenophonte in Repub. Lacademoniorum*; prædationes & exactiones multorum, si non plerorumque præfectorum militarium, contra *Luc. 3. v. 14*. Ut jam non dicam de antiquis & hodiernis Gentium quarundam, juxta *νόμον & χάριαν*, prædationibus, Saracenorum scil. Nomadum, Schytarum, &c. Fraudulentæ circumventiones in emendis & vendendis mercibus, aliæque artes minimè convenientes legi naturali ac divinæ *Math. 7. v. 12.*, vulgò mercatoribus non paucis usitata: Non restitutio omnium eorum, quæ in Foro Poli & conscientie restituenda erant, juxta præcepta juris naturalis, quæ sunt, *neminem la-*
dere;

dere, suum cuique tribuere, quod tibi fieri non vis, alteri non feceris (de quo infra, ubi de restitutione); Specialiter meretricum iustitia in exigendâ & recipienda mercede, & non-restitutione malè partorum, ex jure seu privilegio meretricio, Romæ aut alibi per publicam auctoritatem ipsis concessio. De quo nos alibi ex *Navarro*, *Zypæo*, aliisque Casuistis & Canonistis. Huc referendæ sunt illicitæ artes & occupationes histrionum, thymelicorum, saltatorum, lenonum, cauponum, &c. Nec prætereunda ex antiquis moribus & legibus *ποικίλων λυσίων* populorum derivata acquisitio bonorum per naufragium in mari fluitantium. Quod quidem illic justum & licitum in foro soli; sed an tale sit in foro poli, strictim declarat *Amesius* l. 5. *Casuum* cap. 41. §. 23. & seqq. plenius autem Jurisconsultus Anglus J. C. peculiari Diatriba a. 1657. Londini impressâ in 4. tit. *Naufragia publicanorum esse, nec ius permittit, nec ratio*. Quamvis ostendi possent à publicanis illis *νόμος καὶ ἥθη*; mores & possessio; jus quæsitum per emtionem toparchiæ littoralis cum omnibus juribus, privilegiis & emolumentis; interesse Reipublicæ & supremarum potestatum; jus & consuetudo à majoribus per multa sæcula, sine interruptione ad præsentes naufragiorum dominos devoluta. Adde emtiones & venditiones promiscuas servorum: de quibus supra. Adhæc varia sacrilegia, simonias, *δωροφωρίαι*, venditiones aut permutationes beneficiorum, cum pensionibus, &c. Vindicias & subjectiones maris, ex donatione Papæ, aut aliquo alio prætenso jure sive divino sive humano. De quo disceptant *Grotius* in *Mari libero*, *Pacius* de dominio maris Reipubl. Venetæ, *Seldenus* in *Mari clauso*, & *Isacius Pontanus* in *quæstionibus historicis*.

Nono præcepto repugnant Mendacia, quæ vocant, officiosa: deceptioness. 9. & fraudes, quas *Lipsius* in *Politica* suâ partim suadet partim permittit; (Vide egregium scil. magistrum moris & probitatis insigniter exceptum à *Georgio Thomsono* in *Examine miraculorum Aspricollensis*); & tamen in foro soli non tantum licitæ sunt, sed & ministris politicis sæpe imperantur; uti constat ex arcanis & simulacris Rerumpublicarum, quæ scriptores politici describunt, & ex editis negotiationibus, legationibus, epistolis *Janini*, *Perroni*, *D'Offat*, *Bentivoglio*, & ex Cancellariâ Hispanicâ, in Germaniâ anno 1623. editâ: violationes fidei servandæ, uti constat ex libellis contra Pontificios editis, alibi indicatis, in dispp. ad nonum decalogi præceptum; *Mendoza* admirans Arragoniæ 1598. candidè Decano Embricensi cum ipso expostulanti respondebat, se non teneri diutius fidem & à se promissa servare, quam regi suo id esset utile. Notum est legato Anglo Wottono in Germaniâ publicè exprobratum fuisse à Jesuitis, quod albo alicujus sibi oblato inscripseret: *Legatus est vir bonus, missus ad mentiendum pro principe suo*. Qui tamen edito postea libello factum hoc suum excusare studuit. Usus æ-

quivocationum & mentalium reservationum: Dispensationes in juramentis; speciatim in juramento fidelitatis (vide 2. *part. select. disp. tit. de Sede Romanâ incompatibili cum politis reformatis*): proditioes in foro soli proditoribus suasæ, aut imperatæ; Hoc ergo respectu licitæ & præmio honoratæ ab iis, quibus utiles sunt. Imprimis hic notanda judicia cœca & furda (ita loqui liceat) in criminalibus; ubi reus aut saltem in imaginatione & conceptu principum, Magistratuum sive supremorum sive subalternorum suspectus aut exosus, aut invidiâ dignus, sine exauditione, examinatione, sine sententiæ pronuntiatione & scriptione, solum vertere, aut collum gladio laqueove subicere, aut ipsi sibi ventrem scindere jubetur; uti hæc politica justitia obtinet in imperiis Turcico, Mogulico, Japonico, &c. Cum his surdis & cœcis judiciis comparari debent judicia Imperatorum Romanorum, Neronis, Caligulæ, Domitiani, Commodi, &c.) qui absque auditione absque ullo indicio mali, quod commisissent occidendi; percussorem immittebant, aut venas secari jubebant, aut ipsi sive ferro, sive veneno eos tollebant: ne quidem matribus, novercis, fratribus, filiis, parentes. Quod æmuli ac malevoli alicujus susurrionis delatione (qualis Haman hostis Mardochei & Judæorum) suspectos eos habebant; aut ipsi animo suo odium invidiamve erga eos concipiebant, aut ferre non poterant gratiam, quâ apud alios pollebant. Cœco & furdo judicio aliquo modo similis erat *ostracismus* Atheniensium: quod quale fuerit, compendio discas ex *Sigonio* aut *Keckermanno*, de Republicâ Atheniensium, aut ex *Scaligeri* animadversionibus in *Chronicon Eusebii* pag. 47. edit. poster. Ex quo nonnulla excerptit *Matth. Martinus* in *Onomastico*: qui addit: *Non fuisse hoc cum ignominia exigi, sed potius cum honore, nec pœnam fuisse, sed gratiæ imminutionem.* Quæ verba *Scaligero* loco cit. nec in primâ editione *Eusebii* anno 1606. (quâ usus est *Martinius*), nec secundâ *Amstelodamensi* apud *Janfonium* anno 1658. invenio. An alibi in notis *Scaligerianis* ad *Eusebium* habeantur, hætenus ignoro; nec vacat ulterius inquirere. *Diodorus Siculus* lib. 11. §. 53. hanc legem institutam fuisse ait, non ut improbitatem punirent, sed ut sublimes hominum ad fastigia evectorum animos submissiores hac ratione facerent. *Pollux* lib. 8. *onomast.* c. 5. Cui sex millia testarum obveniebant, huic fugiendum erat, non ut damnato, sed veluti Reipublice molestiori, magis ob virtutis æmulationem, quam vitiorum vituperium. Fundamentum ergo hujus judicii erant rationes status, seu interesse status, ne regimen democraticum per subreptionem aristocratici; aut oligarchici, aut monarchici, aut *μοναρχοειδὲς* alicujus aliquâ ratione labefactaretur. Hinc potentiores inter cives aut senatores, quamvis virtute eximii & optimè de Republ. meriti (quales *Aristides* & *Themistocles*) si modo opibus,

aut potentiâ & autoritate aut gratiâ apud populum florerent, nec accusati nec defensi, ex urbe excedere, & ab eâdem decennio abesse cogebantur: sed non nisi per sex millia suffragiorum popularium; cui numero si quid deesset, inanis erat ostracismus: testibus *Plutarcho in Aristide, Polluce lib. 8. Onomastici cap. 5.* Simile fere iudicium obtinebat apud Syracusanos dictus *petalismus*. Sed multo illis iniquiora sunt iudicia illa, quibus ob rationes status (uti prætendi solet aut potest) homines civitate aut libertate, aut dignitate & munere, aut bonis suis, aut etiam vitâ suâ privantur; & quidem non accusati, non auditi, non defensi: idque ex particulari principis, aut principis principumve Senatus, (qui alia suffragia trahunt) sive odio, sive invidiâ, sive sinistra suspicione, aut vano metu. Ob tales rationes status apud Turcas Visirii, Basîe, filii proprii indictâ causâ tolluntur. Similiter ob rationes status vicinis regnis & politiis non raro molestia creatur, aliorum arma etiam injustissima prece aut pretio in ea concitantur: ne scil. potentia eorum crescat, & aliquando potentiores facti per fas per nefas Rempublicam illam vexent aut etiam opprimant: sicuti pisces minutos magni comedunt, & aves enecat accipiter. Hæc inter arcana politica numerari solent. Memorabile fuit iudicium dictum *secretum*, Germanicè *Frygedingh*, contractè *Frydingh* in Westphaliâ, aliisque Germaniæ partibus jam inde à tempore Caroli Magni usitatum, postea abolitum. *Gobelinus Persona in historiâ suâ* (quam *Cosmidromium* appellat) ætat. 11. cap. 4. dicit iudicia hæc ita dicta fuisse, quod omnino extra ordinem, & veluti planè legibus soluta viderentur. Originem & modum eorum describit *Æneas Sylvius in suâ Europâ cap. 36.* ubi de Hollandiâ & Trajectensibus pag. 369. edit. in 8. *Sape, inquit, in nemoribus proceres & mediocres viri suspensi invenirentur, nullâ accusatione prius auditâ.* Et paulo post: *Reus ignarus suæ damnationis ubicunque repertus fuerit, supplicio afficitur.* Plenius originem, processum, & abolitionem huius iudicii descripsit *Marquardus Freherus peculiari libello in 4. an. 1610.* an autem *justitia illa politica* (Ecclesiastica enim non erat, nec curiæ episcopalis, nec episcopi; quamvis principis & domini territorialis) semper absque ullâ coram scabinis, quos *Feymors* dicebant, reorum auditione, aut absque antecedente citatione peracta fuerit; hæcenus mihi non liquet. Certum est, Justitiam in Imperiis modo memoratis & olim in imperio Romano de plano & per saltum administratam fuisse per formulas, *ventrem tibi scinde, venas tibi seca, magnus dominus caput tuum postulat*; aliquando sine ullâ formulâ, sine ullo rei alloquio: uti in aulâ Turcica, ubi patruos, filios, fratres, etiam lactentes, plectunt; quin & mutos aliquot, huius politicæ justitiæ executores, hunc in finem aliquando aluisse compertum est. Ad iudicia cœca referri debent

Ostracismus apud Athenienses : adhæc probæ vulgares , ante hac usitate ; quales sunt per duellum , per ferrum candens , per aquam fervidam aut frigidam , per cruentationem cadaveris . De quibus in 3. *part. select. disp. tit. de sortis* aliisque divini nominis abusibus . Ad nonum præceptum , & simul ad octavum referri possunt plagia & suppositiones librorum ; eorundem castrationes , & corruptiones : de quibus nos infra in *disp. de Falso*.

§. 10. *Decimo præcepto* repugnant minimæ cogitationes & cupiditates contra ullum Dei præceptum . Quæ in Foro Soli Romano-Papistico , & hodierno Judaico , antiquo & hodierno Gentili , Muhammedico , Pelagiano , omni-que hodierno hæretico , peccata non sunt , quia scilicet involuntaria ; quippe motus primo primi absque deliberato voluntatis consensu . Quæ laxa casuistica à solis hodiernis Protestantibus ac reformatis improbatur & refutatur . Nos hic *ἐν περὶ* indicamus istas rationes 1. *Quia* inhærens concupiscentia exsertè dicitur peccatum *Rom. 7. v. 7. & 20.* 2. *Quia* eadem , & primo prima actualis concupiscentia inde enata , est *ἀνομία* 1 *Joh. 3. v. 4.* Ergo . 3. *Quia* inhærens est causa peccati per se . *Rom. 7. v. 20.* 4. *Quia* motus primo-primus e. g. adversus fidem , spem , Dei amorem , timorem , honorem ; adversus patientiam , religionem , Dei invocationem , rectum nominis divini usum , Sabbathi sanctificationem , aliasque virtutes primâ legis tabulâ præceptas est actio humana propriè dicta , (qualis in bruta non cadit) : consequenter subjacet rectæ rationi & legi divinæ ; atque adeo voluntaria est sive in se , sive in causa , sive in utroque . 5. *Quia* neutra in Adamo ante lapsum fuit ; quippe in rectitudine & imagine Dei condito : nec fuit in Christo homine , cui conformes esse debemus ; nec est , eritve in beatis , seu spiritibus perfectis . 6. *Quia* repugnat amoris Deo à nobis debito *ex toto corde , & totâ anima , ex tota cogitatione ex totis viribus* , *Marc. 12.* 7. *Quia* repugnat adhæssioni Dei & boni , quæ debet esse perfecta . Vide *Rom. 12. v. 9. Psal. 63. v. 9. & 73. v. 24.* de adhæssione Dei . 8. *Quia* repugnat perfectæ abnegationi & resignationi nostræ . 9. *Quia* verè fideles neutram volunt , aut appetunt , aut ea delectantur , aut eam susque deque habent , atque in ea acquiescunt : immo contra molestè ferunt ac dolent illorum mortuum excitationem : de eadem conqueruntur , facio malum quod nolo ; & ejus intuitu exclamare coguntur cum Apostolo *Rom. 7. Miser ego homo , quis me liberabit , &c.*

§. 11. Hactenus explicatio discriminis *fori poli* & *soli* , & liciti ac justî in illo & isto à nobis publicâ *disp. 16. Septembr. anno 1665. & Febr. 1666.* proposita fuit.

Nunc addimus sequentia , quæ ob temporis angustiam tunc excudi non poterant.

Consellat. I. In quæstionibus tum theticis tum hypotheticis, de iusto, & licito, jus divinum cum humano, naturale cum civili aut municipali, confundi non debet; nec de uno in alterum transiri.

II. Aliæ sunt leges Cæsaris, & aliæ Dei.

III. Conscientiæ nostræ perfecta & adæquata regula est solum Dei verbum: non corpus juris civilis, aut canonici, aut quæcunque leges humanæ; nec etiam Ethica Platonica, Stoica, aut Peripatetica.

I V. Legis moralis præcepta sive expressè, sive per necessariam consequentiam in verbo Dei traditam, per Christum novum legislatorem (ex falsâ Socinianorum, aliorumque ipsis hæc in parte assentientium hypothesi) nec aucta nec imminuta, nec immutata: quasi scil. sub N. T. aliqua in foro poli & conscientiæ illicita essent, quæ sub V. T. licita fuissent.

V. Multò minus talis mutatio legis moralis per peculiarem gratiam, relaxationem, & libertatem (quæ fingitur) obtigit: ut sub N. T. sive extensive sive intensive, conscientias minus obligaret; & nos ad accuratam ac præcisam ejusdem observationem minus teneremur, quam fideles sub V. T. Quin contra dicimus arctius nunc stringere hoc vinculum, quia major nobis exhibita est gratia. De quâ, Joh. 1. v. 17. *Gratia & veritas per Christum*, &c. Math. 13. v. 16. *Beati oculi vestri qui vident*, &c. 2 Cor. 3. v. 18. *Refectâ facie gloriam Domini intuentes*, &c.

VI. Infirmitas, impotentia; & imperfectio nostra, de quâ cum Apostolo conquerimur, nullam *ἀνομιαν* facit licitam in foro poli: alioquin nullum præceptum decalogi nos obligaret, nec summa omnium præceptorum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*, &c. & *proximum ut te ipsum*. Matth. 22. Marci 12. Et quid fieret de præcepto decimo? vide explicationem catechetica quæst. 13. 14. 15.

VII. Nec *ex peccatis* in foro poli seu conscientiæ *non peccata* faciunt; leges aut mores aut consuetudines populorum, nec communis consensus sive populi sive prudentum, nec placita supremorum aut subalternatorum principum, nec decreta senatus, nec supremi judicii res judicatæ, nec jus quæsitum, nec privilegium concessum; nec voluntas prætoris; nec Papæ aut Papalis concilii sive particularis sive universalis infallibile (uti prætenditur) iudicium & suprema potestas; nec Pontificum constitutiones, exemptiones, gratiæ, indulta, dispensationes de jure contra jus divinum aut naturale; nec absolutiones à juramento quocunque promissorio, etiam à juramento fidelitatis. Confer 3. part. *select. disp. tit. de Papæ potestate temporali*.

VIII. Qui talibus in casibus omittunt aut faciunt quod humanæ quæcunque potestates omittere aut facere sive jubent, sive suadent, sive concedunt,

dunt, sive permittunt, sive per conniventiam tolerant : non magis peccati inobedientiæ aut rebellionis erga Deum & superiores in foro poli & conscientie argui & convinci possunt, quam obstetrices Ægypti *Exod. 1.* Zacharias filius Jojadæ *2 Paral. 24. v. 19. 20.* Propheta Daniel & focii ejus *Dan. 3.* & 6. Apostoli *Actor. 4.* & 5., omnesque Christi martyres jam inde ab Apostolis, usque in hunc diem. Confer infra *disp. de cæcâ obedientiâ.*

IX. Conservatio sui-ipsius juris & justii sive erga Deum sive erga proximum nec fundamentum est, nec regula adaquata: consequenter distinctionem inter forum poli & soli, & juris ac liciti in illo & isto, non tollit.

X. Honestas & conversatio civilis, etiam à multis sapientibus Gentilium legibus & moribus excultorum exercita, & illustria eorundem in moralibus exempla non faciunt conscientie regulam sive particularem sive generalem. Unde in foro poli & casibus conscientie circa licitum & illicitum, adhibenda non est distinctio, inter bonum civem, & bonum virum seu bonum Christianum. Nec distinctio inter bonum politicum & bene facta politicè & bene facta piè seu Christianè.

XI. Nec facta sanctorum, etiam *Προβλεπόμενα* Prophetarum & Apostolorum in scripturis relata, sunt regula. Quod infra uberius explicatum vide in *disp. de Exemplo bono ejusque imitatione*, &c.

§. 12. Ad objectiones, exceptiones, effugia, palliationes, excusationes, apolo-
gias pro peccatis in foro poli & conscientia talibus, & similia deceptionum mysteria (*Jerem. 17. v. 9. Jacob. 1. v. 26*) hic digredi possem: sed quia alibi in particularium virtutum, vitiorum, casuum explicationibus hoc fieri solet; subjiciam hic solummodo selecta quædam, per modum questionum,

I. *Quæst. An ex peccato fiat non-peccatum per allegatam diaboli instigationem & suasionem. Resp. Neg. Genes. 3. v. 13.* & Petri abnegantis exemplum *Luc. 22. v. 31.* Et spectandum est homini non quid diabolus, sed quid Deus unus legislator *Jacob. 4. v. 12.* ab ipso fieri velit.

II. *Quæst. An peccatum in Deum, ejusque opera & providentiam rejici possit, atque ita homini fieri non-peccatum? Resp. Neg. Genes. 3. v. 12. & Rom. 9. v. 19. 20.* Quia Deus nullo modo est causa peccati sive physica sive moralis. De quo in locis de Naturâ Dei, de providentiâ, de peccato.

III. *Quæst. An hominum quorumcunque operationes & cooperationes ad peccatum, eorumque actiones, sive physica sive morales, peccata alicujus faciant non-peccata. Resp. Neg.* Quia ipse peccator est peccati causa particularis, propria, directa. Vide *Genes. 3. v. 17.*

IV. *Quæst. An corruptio, infirmitas, imperfectio omnibus hominibus adherens, peccatum commissum in foro poli purgare & non-peccatum facere possit? Resp. Neg. Vide Rom. 7. v. 14.*

V. *Quæst. An quia quis primus, aut solus tale qui culpandum non commisit, peccatum sit non-peccatum?* Resp. Neg. Nihil enim dicitur, quam etiam alios tale peccatum commisisse. Quod ipsis quidem præstandum: nihilominus tuum tibi præstandum.

VI. *Quæst. An, si iudex secundum allegata & probata pro nosse & posse in foro soli iudicans, aliquem absolvat; ideo ille à peccato in foro poli simul absolvatur?* Resp. Neg. Huc applica illud Apostoli, Parum est ab humano iudicio iudicari. Et 1 Cor. 4. v. 4. Nullius mihi conscius sum: at in hoc non sum iustificatus.

VII. *Quæst. An si quis à propria conscientia non iudicetur & condemnetur, factum ejus non tantum peccatum non sit; sed insuper opus bonum; & quidem meritorium.* Resp. Neg. Quia conscientia errans, ex peccato non peccatum facere non potest Judic. 17. v. 13. Nunc agnori, quod benefaciet dominus mihi, &c. 1 Timoth. 1. v. 13. ubi Apostolus maximum peccatorum se confitetur, quamvis ignorans Christianos persecutus esset. Joh. 16. v. 3. dicuntur putare se κατρεῖν facere Deo, qui Apostolos occidunt.

VIII. *Quæst. An comparatione aliorum & graviorum peccatorum, peccatum aliquod in foro poli non-peccatum judicandum sit?* Resp. Neg. Quia servus sciens voluntatem domini pluribus quidem plagis cædetur: nihilominus servus nesciens voluntatem domini plagis cædetur; quamvis paucioribus Luc. 12. v. 47. 48.

IX. *Quæst. An si quæstio aliqua moralis, aut determinatio casus conscientie, inter theologos non unum hic sentientes, sit aut dicatur problematica; & dum adhuc sub iudice lis est, quod ad universalem & ecclesiasticum consensum, nullum in foro poli peccatum comittatur ab eo qui secundum illam aut istam sententiam agat?* Resp. Neg. Quia verbum Dei, quod perpetua adæquata & certa conscientie regula est, non est nasus cereus, aut gladius Delphicus.

X. *Quæst. An quæstiones morales, & casus conscientie, quamvis totius Christianismi, aut ecclesie reformatæ communi consensu determinati; ad problematica aut etiam quodlibetica rejici debeant; & consequenter ab iisdem publice privatimve tradendis abstinendum sit: si modo unus aut forte alter, paradoxologus proprio fisis ingenio aut prece pretiove ad id pellectus, Doctorum & Christianismi torrenti, aut saltem ecclesie suæ sive nationalis sive provincialis consensui se opponat.* Confer part. 1. Polit. eccles. lib. 4. tract. 1. cap. 10. pag. 565. & tract. 2. cap. 10. pag. 783. 784.

XI. *Quæst. An in foro conscientie subditi amplecti & exercere debeant religionem principis seu Magistratus sui?* Resp. Neg. si falsa sit: etiam si ad eam cogatur.

XII. *Quæst. An theologi & concionatores legitime vocati ad veram religionem*

nem docendam, mutare teneantur in aliquo aut aliquibus capitibus quotiescunque Principi aut Magistratui visum fuerit veritatem, quam antea tenuit & professus est, cum oppositâ falsitate mutare? *Resp.* Neg. quia veritas emenda, non vendenda *Proverb.* 13. v. 23. Quia fides nostra non est temporum, sed euangeliorum; & pro illâ fide decertandum, quæ data est sanctis *Jud.* v. 4. Tenendum est, quod habemus *Apocal.* 2. v. 25.

Object. 1. Sunt rationes status, ob quas Princeps aut Magistratus priorem caritatem nunc deserit, & aliter nunc profitetur; & concionatores aut theologos in sententiâ persistentes nunc deserit; immo persequitur: quos paulo ante eo nomine laudare, ad illam sententiam instigare & animare, immo quibus in eadem quasi præire solebat. *Resp.* 1. Sed si theologis essent rationes cœli, cur constanter veritati inhæreant; nec cum Ecebolis Ecebolii, cum cothurnis cothurni, cum Proteis Protei fiant. Vide eas rationes, *Apoc.* 2. v. 10. *Math.* 10. v. 32. 33. *Ephes.* 4. v. 14. 15. *Resp.* 2. Videndum, ne rationes status, quæ dicuntur, revera sint rationes proprii commodi, rationes ambitionis, tenendæ aut acquirendæ propriæ dignitatis: ob quas homines aliqui à veritate deficere, & suffragium suum iis adjicere solent qui malam sententiam aut causam promovent: per modum contractus innominati, *do ut des, facio ut facias*. Da nobis tuum suffragium hæc in re; gavifurus vicissim nostris: sin minus non gavifurus nostris suffragiis ad munera aut emolumenta tibi, aut filiis, fratribus, nepotibus, &c. conferenda.

Object. 2. Atqui theologî & concionatores aluntur à principe aut Magistratu. *Resp.* 1. Aluntur non ut homines otiosi, nec ex peculio Magistratus, nec ex ærario publico: uti *part. 1. Polit. eccles. lib. 4. tract. 3. ostensum est*. *Resp.* 2. assignatum ipsis est stipendium ut veram religionem doceant; & conscientias recte informet: ad quod abque intuitu stipendii jure divino obligantur; de quo jure & contra quod jus nec Princeps, nec Magistratus magis dispensare potest aut debet; quam Papa, quamvis sibi id arroget. *Resp.* 3. Si theologî essent mera caro, & anima illis data solummodo pro sale, ne caro putrescat (quod de porco non nemo dixisse fertur), aut si essent heliotropium, utique tam insolens & abominanda non videretur hæc teratologia. *Resp.* 4. Quid si idiotæ theologiæ rudes, ab arundine quassatâ, aut Ecebolio quo, in divinis *δοκησιόφρ* quidem revera tamen parum solido & exercitato, colore aliquo Rhetorico, imprimis argumento ab utili persuasi instar polypi colorem mutant: an theologî, qui *ἡγούμενοι* esse debent, & doctores insipientum (*Rom.* 2. v. 20 *Heb.* 13. v. 17.), ilico transibunt?

XIII. *Quæst.* An necessitas sive privata sive publica, in foro poli ex peccato faciat

faciat non peccatum? Resp. Plurima sæpe excusari solent, prætextu *mali necessarii*, & *Necessitatis non ferentis legem*, & *intenti boni publici*, sive in politiâ sive in Ecclesiâ. Sed simpliciter, & promiscuè sine limitationibus & exceptionibus; hæc adhiberi atque accipi non debent. 1. *Si per malum intelligitur malum tarpe seu culpæ*, nulla unquam necessitas te adigere debet ad illud faciendum: quia nullo modo est eligibile; nec facienda sunt mala, ut eveniant bona *Rom. 3. 2.* *Si legem humanam intelligis*, potest esse talis necessitas, ut illam servare non debeas. Et ipsæ leges humanæ tales exceptiones continent; aut iudex *regi imperator* factum cum lege comparatum sic interpretari debet. Sic apud Jureconsultos excusativis major *grævia*, fatales miseræ. Necessaria vitæ defensio, navis per jactum necessaria exoneratio, metus qui potest cadere in virum fortem, & similia. *Si legem divinam aut legem naturalem intelligas*, illa necessitatem hominibus imponit præceptis negativis absolute & ad semper obligandi; affirmativis vero semper, non ad semper. *Neceesse est subjici Magistratibus Rom. 13. v. 1.* Sed ubi ipsa lex divina limitat aut excipit, obediendum: ne absoluta ac cœca obedientia, & præsumta parendi gloria, cum præjudicio supremi domini & legislatoris, libertatisque fidelium præstetur. *Luc. 14. Qui non oderit patrem matrem, &c. non est me dignus*, cum Deuter 33. v. 9. *qui dicebat patri*, &c. Et *Act. 5. v. 29.* Et *1 Cor. 7. v. 23.* nolite fieri servi hominum. Taceat ergo in transgressione legis divinæ aut naturalis, prætexta necessitas, quam quis sibi accersivit: de quali Cyprianus de Lapf. *Nec excusat oppressum necessitas criminis, ubi crimen est voluntatis.* 3. *Intantum bonum publicum*, sive in ecclesiâ sive in politiâ, ex malo non facit bonum: duæ enim alię conditiones præter bonam intentionem ad opus bonum requiruntur, ut fiant ex fide & secundum legem Dei. Et *Rom. 3. v. 8.* de non faciendo malo culpæ, ut eveniant bona, nullam limitationem, nullam exceptionem admittit.

XIV. *Quest. An si in foro politico aliquid non tantum politicè, sed & in conscientiâ licitum, immo & debitum (si Magistratus illud mandet) judicetur; & contra theologi & ecclesiastici judicent idem in conscientiâ esse illicitum: Resp.* credendum aut saltem præsumendum sit, in hac judiciorum discrepantiâ aliisque omnibus inter Magistratus & ecclesiæ judicia differentis, veritatis & justitiæ causam stare à parte Magistratus; non vero à parte ecclesiæ? *Resp.* Quare quæso? quia ita forte statuit colax quis: quod propriæ scenæ hoc in præsentī sublerviat: aliter pronuntiaturus, si in propriâ aliquâ causâ haberet suffragantem ecclesiam, adversantem Magistratum. Remonstrantes omnia in ecclesiasticis tribuebant Magistratui, ubi & quamdiu innovationes & *utitur* ipsorum ejusdem patrocínio contra ecclesiæ ordi-

nem (uti in famosâ suâ *Remonstrantiâ* anno 1610. petebant) fruebantur. Idem tamen alias, post Synodum Dordracenam, & alibi (nominatim in ducatu Geldriæ) longè aliter pronuntiabant. De quo *part. 1. Polit. Eccles. lib. 1. tract. 2. cap. 2.* Omnes *Mentis* in doctrinâ aut moribus, qui causæ suæ desperatione ordini & disciplinæ ecclesiarum se unquam subducere tentârunt, trans mare ad sedem Romanam, aut ad Imperatores, Magistratus provocârunt, & huc potestatem ecclesiasticam, quantum in se est, transtulerunt.

XV. *Quæst. An ergo peccent in foro poli, qui provisionaliter ipso facto potius parent & se subjiciunt iudicio aut decreto Magistratus, qui habet arma realia; quam iudicio & decreto ecclesia, quæ habet arma solummodo verbalia & spiritualia. Resp. Aff.* Neque enim, si juri divino & naturali repugnet, quod mandat aut concêdit forum soli, præstita tua obedientia, aut subscriptio, aut promissio, à peccato coram Deo immunem te præstabit; nedum ut opus tuum meritorium sit futurum. Cœcis cœcorum ducibus in Papatu relinquendum est horridum illud dictatum: apud *Toletum lib. 4. de Instruct. sacerdotum cap. 3.* Si rusticus circa articulos fidei credat suo Episcopo proponenti aliquod dogma hereticum, meretur in credendo, licet sit error, qui tenetur credere, donec ei constet esse contra ecclesiam. Et apud *Bellarminum lib. 4. de Pontifice cap. 5.* Si autem Papa erraret præcipiendo vitia, vel prohibendo virtutes, teneretur ecclesia credere, vitia esse bona, & virtutes malas; nisi vellet contra conscientiam peccare, &c. Plura istius generis cimelia, vide infra in disp. de cœcâ obedientiâ. Exstat inter epistolas illustrium Belgarum & ad Belgas anno 1617. Lugd. Batav. editas centur. 1. epistola 20. 22. 24. 25. Gul. Ketleri electi Episcopi Monasteriensis & Cassandri, quibus agitur de juramento Episcopali; hæc in quæstione lectu dignæ.

XVI. *Quæst. An theologus bona conscientia promittere aut etiam iurare possit se superioris sui hierarchici, aut politici religionis Ethnici, aut Muhammedici, aut Pontificii, aut Antitrinitarii, aut Libertinici, aut neutralis, aut reformati præsentia & futura decreta aut mandata, sive circa politiam sive circa religionem & ecclesiam, probaturum, & eorundem pietatem, iustitiam, æquitatem omnibus suasurum; saltem aliter aut contra non dicturum. Resp. Neg. 1. Quia, resistentia negativa, cum superior sive imperat quid facere aut omittere, quod juri divino repugnat, omnibus competit, juxta *Actor. 4. & 5. Dan. 3. & 6. 2. Quia, resistentia verbalis per oblocutionem, sive coram superiori, sive coram populo, sive coram utroque, necessitate ita ferente, ad utriusque necessariam monitionem & informationem Deique & veritatis honorem, theologis & ministris, ex necessitate incumbit. Quo autem modo, an vivâ voce an scripto, & quando opportunè hoc agendum sit, prudentia iustorum eos docebit. Luc. 1. v. 7. Ephes. 5. v. 15. Sed de his aliis-**

aliisque hæc facientibus, in *dispp. de correptione fraternâ*, & de Officiis cartiatis erga proximum peccantem; & in *dispp. de confessionibus & apologiis 3. part. Polit. Eccles.* (si Deus volet) inferendâ. Unde facile constabit, quam cruda sint illimitata hæc duo axiomata: quorum prius est, Nullus incolâ, nullus concionator Magistratibus ut Magistratibus super eorum concessis & decretis sive æquis, sive iniquis contradicere potest, *non magis quam creatura se opponere potest creatori suo*. Quod vide à nobis in transitu excussum in *Exercitiis pietatis p. 759. - 770.* Alterum est, nihil unquam concionatori pro concione dicendum; quod tangat politiam sive hierarchicam sive secularem. Quod si omnes modi tactus seu attingentiæ considerentur, non video quid concionatori dicendum relinquatur. Facile enim quidvis per stramineas aut lycophanticas consequentias, politiam alterutram aut utramque tangere contendent, qui veritati, pietati, ministerio sacro, & fidis ministris insidiantur. Explicandum ergo erit, à quibus & quomodo (directè aut indirectè, mediatè aut immediatè, proximè aut propè, aut procul), theologo aut concionatori tum scribenti tum loquenti, sive semper & absolute sive hic & nunc, abstinendum sit. Exceptio illa, quæ contra omnia dicta & exempla Prophetarum & Apostolorum *χθὺς ἡ πρῶτος* emergere cœpit, quod hodierni ministri non sint infallibiles, nec peculiarem & extraordinariam ad tales monitiones faciendas, habeant revelationem, qualem *Ἰερόνυμος* Prophetæ & Apostoli; alibi à nobis refutatur, in *Exercitiis pietatis cap. 24.*; imprimis in *2. part. Polit. Ecclesiast. lib. 2. tract. de Ministerii Ecclesiastici necessitate*, potestate, &c. Hic præstructim indico, ipsum ministerium ejusque exercitium, in fidei morumque doctrinâ dispensanda, atque adeo universum ordinem ac regimen ecclesiasticum, per necessariam consequentiam tolli; siquidem hæc exceptio ad finem usque defendatur. Interim pro ministerio, perpetuo regimine, & disciplinâ ecclesiæ, consulatur, harmonia confessionum, speciatim nostra Belgica, cum catechesi, liturgiâ, & constitutionibus ecclesiasticis.

D E J U D I C I I S D E I

P A R S P R I O R

Resp. JOHANNÉ POLLIONIO Woudenb. Traject. 19. April. 1665.

Visum est occasione tum præsentium multiplicium malorum, quæ passim populos in orbe Christiano premunt, tum eorum quæ impendere videntur; de Judiciis Dei commentariunculam aliquam instituere: ut & discipuli